



Miscel.

0.



*26. 34.*



ORATIONES (5)

D V Æ

HABITÆ A MAGNIFICICO D. RECTORE ACADEMIÆ VVitebergensis, Inclyto & generoso Domino D. IOHANNNE CYRIACO libero Barone in Polheim & VVartenburg &c.

V N A:

*Cùm leges scholastica recitentur publicè.*

ALTERA:

*Cùm Magistratu abiret die  
18. Octob. Anno  
1575.*

VVITEBERGÆ  
IOHANNES SCHVVER-  
tel excudebat.

ANNO M. D. LXXVI.

ORATIONES

DVE

HABITAMANT

ALCOB. P. R. G. O. S. S. A. S. S.

de rebus V. N. G. S. S. S. S. S.

de rebus V. N. G. S. S. S. S. S.

de rebus V. N. G. S. S. S. S. S.

in Ratione in P. S. S. S. S.

Warenburg &c.

V. N. G.

Quam leges scholasticas

temperant

ALTERN

Quam Magister dicitur

18. Octob. Anno

1775

WITBERG

JOHANNES SCHNEIDER

in

WITBERG



# ORATIO HABITA

## ante recitationem statutorum.



V M de sententia inclyti huius Academiae senatus, in hunc amplissimum locum, ornatus dignitate, atq; munere publico collocatus essem: nihil prius habui, nihilq; religiosius mihi faciendum esse putavi, quam ut grauisimo praceptorum carissimorum iudicio, reuerenter parerem, meq; quem singulari quadam in me propensione, magistratum praesse huic sacro caetui voluissent, cum ad ipsorum voluntatem, atq; nutum, tum ad legum, atq; statutorum praescriptum, rite conformarem. Etsi enim me per aetatem non satis aptum esse ad munus tantum cum dignitate sustinendum animaduvertebam: plus tamen apud me ponderis habuit grauisimum Academiae iudicium, quam mearum virium imbecillitatis consideratio. Quapropter, cum & ipse a teneris ad virtutem, quae nostram aetatem potissimum decet, & ad disciplinam honestam, singulari cura atq; institutione nobilissimorum parentum sedulo diligenterq; assuefactus essem: & nunc officij ratio a me postularet, ut cum exemplo, tum voce etiam mea vobis hortator essem ad amorem & reuerentiam legum: curavi vos hoc tempore ad audiendam statutorum Academiae recitationem, conuocari. Vestrum erit, non solum placide, attenteq; nobis aures, sed

Et pectora præbere, idq; studiøsè operam dare, ut  
mores vestri totaq; vita, & actiones uniuersæ,  
conformes sint huic normæ, quam sapientissimè à  
maioribus constitutæ leges præscribunt. Cùm au-  
tem sæpe vos, cùm hoc ipso ex loco, tum alibi do-  
centes ac præcipientes de legum rî atq; dignitate  
præceptores nostros in Schola atq; templo audiatis,  
non utar nunc longiori præfatione. Tantùm vos  
adolescentes, qui in literarum ac pietatis studijs  
versamini, hortor, ne vestro officio ipsi deesse ve-  
litis: sed assiduè cogitetis animo, in quam vos sta-  
tionem Deus collocarit, quarum rerum curam,  
studiumq; vobis commiserit, quid à vobis ipse,  
atq; parentes vestri, deniq; Respub. flagitet: Quan-  
tumq; boni in societate humana secum trahat, sub-  
missa, religiosaq; erga leges, atq; Magistratum obe-  
dientia. Non sunt scholæ hominum ignauorum,  
atq; ociosorum conuenticula, multò minus Cyclo-  
pum barbarica agmina: quorum illi, cùm rectè di-  
ligenterq; facere officium negligant, ventri tan-  
tùm & voluptatibus indulgent: Hi Deum ipsum  
& honestatem omnem furiosè contemnunt. Quin  
potius sic statuite, scholas coetus esse hominum mo-  
destorû, quibus optimarum rerum in genere huma-  
no, legum, disciplinæ, omnisq; liberalis doctrinæ  
professio, & propagatio diuinitus est commenda-  
ta, quiq; virtutum omnium, & pietatis sit officina,  
deniq; Ecclesiæ & imperiorum seminarium. Hoc  
quantum sit vestri ordinis decus, perpendite. Quan-  
quam enim alijs gradus atq; ordines hominum, titu-

los habent in speciem splendidiores: tamen reuera  
magnitudine dignitateq; professionis antecellit vi-  
ta scholastica omnibus ordinibus. Veritatis enim et  
iustitiæ inquisitionem, cultumq; proficitur, quibus  
bonis nihil habet genus humanum diuinius: Ha-  
rum rerum ope regitur & continetur vita, multò  
uerius, quàm ullis armorum, vel munitionum  
præsidij. Harum rerum studium & conseruatio-  
nem ipsa à vobis flagitat Respub. quæ ex scholis  
idoneos gubernatores, præcipuaq; ornamenta, &  
præsidia necessaria petit, nec sine horum ope subsi-  
dioq; tuta esse, aut salua diu potest. Vt autem do-  
ctrinæ studium possit esse ardentius, mores etiam  
piè, castè, ac modestè regendi sunt, & subiiciendæ  
mentes legitimæ autoritati legum, atq; Magistra-  
tus. Vt enim Plato dicit, hunc esse optimum in  
Repub. ciuem, qui nullos triumphos, aut victori-  
as hostium, nullosq; honores pluris faciat, quàm  
dici obtemperantem legibus ciuem: ita profectò  
scholastici ordinis nulla potest esse maior laus, nul-  
lumq; decus præstantius, quàm vitæ modestia ta-  
lis, atq; verecundia, quæ superiorum voce se regi,  
ac contineri in officio, & frenari impetus patitur.  
Etsi enim iuuentus non solùm non intelligit, sed  
& naturaliter odit legum vincula, & disciplinæ  
impatiens est, suisq; cupiditatibus licentiam per-  
mitti cupit: deniq; & fortitudinem quandam esse  
iudicat contemptum legum, ac disciplinæ: tamen  
vos liberaliter educatos, atq; institutos, veraq;  
Ecclesiæ filij Dei ciues aliter sentire, atq; affectos

esse decet. Itaq; statuite, velle Deum, vt certo iure  
regantur homines, vt adolescentia coherceatur, &  
frenum iniiciatur prauis, & iniustis cupiditatibus:  
Deniq; leges in quacunq; societate honesta, non esse  
hominum astutia excogitata inania terriculamenta,  
sed ipsius Dei velut de caelo sonantis vocem, atq;  
sapientiam aeternam, qua contineri ac regi homi-  
num coetus voluit.

Quapropter, vt Deo ipsi obedientiam debet  
creatura rationalis: ita & legibus nos ab ipso tra-  
ditis, & sapientiae ipsius congruentibus, obtempe-  
rare oportet.

Nec verò tantum diuinitus traditae sunt ho-  
minibus leges honestae, vt sint vitae communis vin-  
cula, sed & Deus ipse custos est sui ordinis, atq;  
vindex acerrimus violationis huius, qui quidem  
interdum ipse punit atrociter delinquentes, saepeq;  
cum his totas familias aut Respub. funditus euer-  
tit: Interdum Magistratui executionem iustitiae  
suae permittit, & ad poenas mirabiliter retrahit  
contemptores honestarum legum. Exempla cum &  
historiae omnium aetatum, & vita communis quo-  
tidie suppeditet, decet vos, adolescentes optimi,  
horum consideratione ad modestiam, & studium  
obtemperandae legibus flecti, & accendi.

Itaq; & hoc fine nunc proponi vobis leges,  
quibus Academiae incolumitatem munire sapien-  
tum maiorum prouida cura voluit, statuatis, vt  
quid vestri sit officij non ignoretis, & his ipsis  
legibus modestè vos subiiciatis, deniq; vt cogi-  
tetis, vos & Deo ipsi, & Illustrissimo Principi  
nostro,



nostro, carissimisq; parentibus vestris, atq; præceptoribus obedientiam debere, & hunc Deo cultum esse gratissimum, Vosq; huius vestræ pietatis fructum reportaturos vberrimum, non solum in hac vita, sed & cœlesti altera. Idem vos vnâ mecum obtestatur hic venerandus Præceptorum nostrorum cœtus, atq; corona, qui omnes cum vocatum gemitibus suis hortatores vobis sunt assidue ad pietatem atq; modestiam, eaq; in re cum vestræ salutis, tum communi consularis.

### RECITA LEGES.

**A**Vdiuistis non tyrannicas leges, cuiusmodi Draconis in Repub. Attica primûm fuerunt, quæ sanguine scriptæ esse dicebantur. Nec Laconicas, aut Cretenses, quæ petulantiam & improbitatem in auditoribus confirmabant, & impunitatem multis flagitijs permittebant: sed plena equitatis & humanitatis præcepta, cum natura hominum, & cum diuinis legibus consentientia, & vestris moribus, atq; studijs accommodata, deniq; communi omnium salutis, & incolumitati consulentia. Quare & propter mandatum diuinum statuetis vos obedientiam his debere, non secus atq; ijs legibus, quas Deus ipse suo digito lapideis tabulis inscripsit. Etsi enim decalogi præcepta, quæ Deus æternus terribili voce ex rupe Sinaide intra horrenda tonitrua & fulgura, spectante, audienteq; multitudine sexies centenorum millium hominum

A 4      promul-

promulgavit, summam & præcipuam obedientiam  
postulant, tamen cum Magistratui Deus con-  
cesserit auctoritatem condendi leges, suæ Reipub.  
accommodatas, nec cum diuino iure pugnantes:  
ijs etiam obedire necesse est, teste Apostolo, non  
solum propter iram, sed & propter conscientiam,  
hoc est, non tantum ut pænæ vitentur, sed & ne  
conscientia polluat, & rea fiat coram Deo.  
Hanc grauissimam Apostoli vocem ac tristissi-  
mam comminationem sibi proponant modestiores  
adolescentes, ut hac commonefacti discant frena-  
re animorum impetus, & mores regere diligentius,  
ne quid contra legum præscripta contumaciter  
faciant, ne scandalo sint alijs, neue suo exemplo, &  
morum ferocia offendant honestorum hominum  
iudicia, deniq; ne vitæ dissolutione cyclopica,  
sibi & alijs, totiq; societati nostræ pœnas & exiti-  
um accersant. Ut enim Deus modestiam in iu-  
uenibus, sobrietatem, castitatem, & obedientiam  
pulcherrimis & amplissimis præmijs, ac donis  
se remuneraturum promisit: Ita contra horribi-  
les pœnas denunciatur, & seuerissimè infligit om-  
nibus, qui contumaciter contra leges, & autori-  
tatem Magistratus delinquant, & immanitate  
beluina salutare commonefactiones omnes asper-  
nantur. Quamobrem, propter gloriam Dei, &  
propter vestram omnium salutem, propterq;  
Reipub. huius & communitatis scholasticæ  
tranquillitatem & incrementum vos oro, &  
obtestor, ut in omnibus vitæ partibus officium  
vestrum

vestrum sedulo, diligenterq, faciatis, vt legibus  
atq, statutis nostris reuerenter pareatis, vt mode-  
stia & temperantia honestissimum vitæ genus  
ornetis, & in studijs ac moribus componendis di-  
ligentiam, homine optimarum artium studijs de-  
dito dignam præstetis: Vt hoc pacto ad Rem-  
pub. aliquando doctrinam vitæ vilem, & mo-  
res probatos asseratis, utq, eruditio vestra, probi-  
tas atq, integritas ornet gloriam Dei, & vo-  
bis ipsis plurimisq, alijs salutem  
sit atq, præsidio.

DIXI.



AS AL.

*ALTERA ORATIO,  
habita in renunciatione  
Magistratus.*

**H**OC die natali Academiae, alter iam climactericus, Dei beneficio, est circumactus: ex quo, annuam noui Magistratus Scholastici, in hac aede sacra, quam illustrissimi Principis munificentia, Academiae dicauit, & hoc ipso in loco, ad tumulos Electorum Saxoniae fundatorum Academiae: Et summorum Ecclesiae Doctorum ac Praeceptorum, creari primum cum quadam solennitate, ceperunt. Et si autem non hoc mihi sumo, ut de causis translatae in hunc locum electionis, & aliorum rituum, inquiram scrupulosius: consentaneum est tamen, voluisse maiores nostros admonere posteritatem, ut in his ipsis congressibus panegyricis, & quidem in templo memoria repeteret occasiones: cum repurgatae primum a tenebris ac superstitionibus pontificijs doctrinae sacrae, ministerio Lutheri atq; Melanthonis, ad quorum sanctos cineres & monumenta hic consistimus: tum condita primum in hoc oppido ac fundata Academia, ex redditibus huius templi, in quo Idolatriae ac superstitiones Romani pontificis tyrannide stabilitae, quondam regnabant. Vriusq; operis initia, fundamenta & progressus, cum ex Deo nata, & diuinitus gubernata fuisse, euen-

eventus docuerit, non debuit memoria tantorum  
beneficiorum excidere animis nostris (ut solent  
esse post accepta beneficia ἀμνάμους οἱ θεοῦ.)  
Itaq; in hac potissimum æde, celebrari quotannis  
conuentus Scholasticos voluerunt, ut illustri-  
or esset in loco sacro, de rebus sacrosanctis commo-  
nificatio, & exuscitarentur mentes nostræ, cum  
ad gratiarum actionem pro exhibitis beneficijs,  
tum ad preccationem ardentem pro eorundem con-  
seruatione. Deinde cum sit ἱερόν ἡ ἐκκλησία, non de-  
buit alibi commodius institui deliberatio de crean-  
do Magistratu, qui rei scholasticæ præesset, quam  
ubi assidua est nominis diuini mentio. Deniq; &  
conciones, quæ ad iuuentutem habentur de disci-  
plina & Scholasticorum officio, plurimum dignita-  
tis, ponderis, atq; autoritatis hinc consecuturæ esse  
videbantur.

Hoc ergò consilio, & hodierno die, exemplo  
maiorum, nunc conuenimus, ut in renunciatione  
noui Magistratus, simul preces ad Deum seriò ar-  
denterq; fundamus, & Scholasticos hortemur, ad  
vitæ emendationem atq; modestiam. Etenim, si  
fuit vllum vnquam tempus, quo nobis vtroq; præ-  
sidio velut anchora gemina, in concursu sæuissimarum  
tempestatum opus fuit: hoc profecto illud est  
seculum nostrum, in quod nos fata miseros atq; in-  
felices reseruarunt. Non solùm enim, ut Poëta ca-  
uit, omne in præcipiti vitium stat, sed & pœnæ &  
calamitates, vaticinijs Prophetarum, Christi, &  
Apostolorum, prædictæ multisq; prodigijs denun-  
ciatæ.

ciatæ, in nos, velut agmine facto, partim irruunt, partim impendent, atq; interitum allaturæ esse rebus humanis omnibus videntur. Periculorum ingentium plena sunt omnia, quæ indies serpunt, & ad nos accedunt propius, nec vim tantarum tempestatum vlla poterit auertere vel sapientia, vel industria humana. Imminent ab ortu Germaniæ nostræ duæ potentissimæ ac ferocissimæ gentes, Turcica & Moscovitica, quæ post victoriam, non contentæ imperio in victos & præda, insuper horribili furore atq; immani rabie delent ac vastant ea ornamenta & vincula, quibus honesta hominum societas continetur. Turcæ etsi in armis sunt perpetuò, tamen nuper domesticis dissensionibus procerum Transylvaniæ euocati, multas arces atq; oppida abductis captiuis in seruitutem, ceperunt, et neglecturi occasiones in posterum non videntur.

Ex angulo septentrionis, Moschi Liuoniam appetunt, in qua recens magnam stragem ediderunt, occupato portu omnium oportunissimo ad excursions per Mare Balthicum, eoq; successu animati, totis viribus, bellum aduersus Rigenses instaurant: Nec quietura gens barbara videtur, nisi diuinitus repressa fuerit à cervicibus nostris. Polonia, quia certo Rege caret, non solùm ipsa in periculo est, propter excursions Moschorum, sed vicinis etiam damni aliquid attractura videtur. Reliqua orbis regna, aut bellis ardent civilibus, aut suis conflictantur difficultatibus, ut sese tueri egrè posse diutius videantur. In promiscua hominum

minum multitudine crescant vicia, securitas, igna-  
tia, auaritia, amor voluptatum, mollicies animi,  
inconstantia, leuitas, diffidentia & perfidia omni-  
um ordinum, summorum, infimorum. Ex his fonti-  
bus magni oriuntur in Imperijs & Ecclesia tumul-  
tus, quorum finis nullus prospici potest. Ecclesia  
non solum externis armis hostium nominis Chri-  
stiani, oppugnatur, sed & domi conuellitur dissidijs  
docentium, & velut senescens, suos habet morbos  
ac neuos, opinionūq; varietate, quas suo arbitrio fin-  
gunt audacissimè homines turbulenti uox Ἰλαυ-  
τοί, ita distrahitur, & scandalis deformatur, ut  
quæ, aut ubi sit, agnosci vix queat: piorum verò  
imbecilliorum mentes turbentur & excrucientur,  
& in dubitatione de certitudine doctrinæ uniuersæ  
conijciantur. Hæc publica sunt mala, quæ nobis  
cum multis sunt communia. Ad hæc nunc nouum  
accedit infortunium, metus contagij à seuerente in  
vicinia pestilentia, quæ cum alibi latè depopuletur  
urbes, nunc ad nos quoq; serpere paulatim depræ-  
henditur, & dissipationem cæcibus nostris, nisi De-  
us vim progredientis veneni represserit, mina-  
tur.

In tanto dum versamur discrimine rerum,  
tantaq; perturbatione & solitudine animorum,  
anxiorum de salute publica, & priuatim sua: pro-  
ponamus nobis ob oculos historiam & picturam  
Ecclesiæ omnium temporum, & colligamus animo  
testimonia, quæ affirmant, inter horribiles impe-  
riorum collisiones & furores diabolorum, man su-  
ram

ram esse Ecclesiam usq, ad iudicium, in quo se fili-  
us Dei rursus ostendet toti generi humano, & libe-  
rata per se atq, redempta Ecclesia, abiecta in eter-  
nas poenas ac cruciatus impia multitudine, restituta  
et iusticiam integram, læticiam & vitam semper-  
nam.

Etsi autem plena est scriptura sacra concioni-  
bus, de postremi temporis confusionibus ac miseris:  
plena etiam consolationibus dulcissimis, quæ pios  
erigunt & confirmant: tamen vix ullum est illu-  
strius vaticinium eo, in quo Daniel Propheta pin-  
git ultimæ Monarchiæ statum, Ecclesiæ arumnas,  
pericula & gloriosas liberationes. Disertè affir-  
mat, quartum regnum, significatum bestia terribili  
& truculenta, ultimum fore, & cæteris prioribus  
potentius atq, asperius. Id quod de Romana Mo-  
narchia historiæ testantur, quæ maiorem orbis sub-  
acti partem est complexa, maxima & difficilima  
bella gessit, ac plurimum fudit humani sanguinis,  
durius etiam exercuit et persecutum est Ecclesiam,  
& politiam Iudaicam prorsus deleuit. Sed ex hac  
nascitura ait Daniel, decem regna, quæ sunt Pro-  
uinciæ ampliores: Asia, Syria, Ægyptus, Aphrica,  
Græcia, Illyricum, Germania, Italia, Gallia &  
Hispania, quibus omnibus Romani imperarunt.  
Sed, ut fit in magna potentia, quæ fortune nimi-  
um aridentis successibus elata, non continet se in-  
tra metas iusticiæ & moderationis: Ita Romanum  
imperium, vel ciuilibus bellis fractum, vel exter-  
norum hostium & barbaricarum gentium incur-  
sioni-



tionibus conuulsum est atq; vastatum aliquoties.  
Suntq; eius vires ita attritæ, vt diuersis gentibus  
præda esse ceperit. His occasionibus inter cætera  
cornua bestia, emerfit aliud quoddam cornu, par-  
uum quidem initio, & oculatum, hoc est, blanda  
specie & astutia instructum: Sed rictu oris sui,  
dira mimitans, & contumelias spirans, bellumq;  
sanctis denuncians, & in ipsum Filium Dei bla-  
sphemias euomēs: Paulatimq; mole & amplitudine  
auctum, postquam tria cornua vicina attriuit, &  
demolitum est. Hac pictura Mahometicum reg-  
num significatum fuisse, euentus docuit. Post-  
quam enim Occidentis imperium diuersarum gen-  
tium collisionibus dilacerari ceptum est, interea in  
Oriente horribiles vastationes, mirifica fortune  
nunc ad has, nunc ad illas gentes, inclinatione, fa-  
ctæ sunt, donec sese extulit Sarracenorum poten-  
tia, qui latè imperarunt, in Arabia, Asia & Persia,  
sed hos tandem in societatem bellorum à Persis, ex  
horridis Caucasi rupibus, seu latebris euocati &  
attracti Turci oppresserunt: Qui quidem progressi  
longius, & aucti victorijs, primum statim coniun-  
xerunt Egyptum, Syriam & Græciam, sicut euul-  
sione trium cornuum in visione Danielis signifi-  
cātū fuit. postea incredibili celeritate stupendisq; suc-  
cessibus occupata maxima Asia & Africæ parte,  
regnum illud blasphemum armis constituerunt,  
quod horribili audacia spargit conuicia in perso-  
nam & gloriam filij Dei, abiicit scripta Propheti-  
ca & Apostolica, & immani sanitia bellum  
ἔταρον

ααωωδ op Deo & Ecclesie infert, trucidat sanctos,  
& commenticiam atq; impiam suam doctrinam ar-  
mis propugnat, lateq; disseminat. Etsi igitur po-  
tentius erit regnum Turcicum caeteris Monarchijs,  
& horrendas vastitates efficiet in magna parte  
generis humani: tamen non opprimet Europam u-  
niuersam, nec aequabit potentiam Romanae Monar-  
chiae, nec quartam aliquam Monarchiam constitu-  
et: Sed cum iam peruenerit ad fastigium, sibiq; im-  
perium sine fine, ac dominationem orbis totius polli-  
cebitur, reprimetur non humanis viribus, sed diui-  
nitus, fietq; huius ante finem mundi subita aliqua  
& inexpectata inclinatio, filio Dei magno duce  
Michaele praeliante pro filijs populi sui in montibus  
Israël, hoc est, in locis, in quibus adhuc sonat Eu-  
angelium, & Deus rectè agnoscitur ac inuocatur.

Tunc, inquit Daniel, fore, uti illucescat mox  
latissimus ille dies, quo antiquus dierum in nubi-  
bus apparens, & niuei candoris stola amictus, ve-  
nerandaq; canicie & maiestate conspicuus, innu-  
mero angelorum agmine, & satellitio stipatus, eq;  
fulgore flämeo et luce splendidissima arcanae diui-  
nitatis progrediens, ad tribunal & sedilia, ordine  
disposita, iudicaturus sit orbem terrarum, & acce-  
denti ad se filio hominis, commendaturus regnum  
nouum & perpetuū, & traditurus eidem possessio-  
nem imperij illius, in quo sanctos suos, tristissimis  
ærumnis ac calamitatibus miserè vexatos, diudq;  
pressos, tandem liberaturus sit & donaturus aeter-  
na luce, gloria & leticia: Impijs deletis & abie-  
ctis in æternos cruciatus. Hæc

Hæc summa est vaticiniij Danielis, quo nihil esse gratius, nihilq; magis salutare anxijis mentibus potest. Erudit .n. eas de maximis rebus, & simul confirmat & consolatur, ne in tantis ærumnis atq; periculis existiment, se à Deo esse desertos, nec deficiant à Deo, aut professionem huius doctrinæ, quæ in tanto odio est, ac immanissimè oppugnatur, abijciant.

Disertè testatur, imperia paulatim fieri languidiora, deteriora & asperiora, & postrema tempora plus habitura confusionum, & turbarum, Nec conditum esse genus humanum ad huius tantum vitæ seu ærumnas seu voluptates sed restare ac propè in foribus esse iudicium, & aliam vitam meliorem ac perpetuam, in qua Deus pios æternis præmijs ornabit, de hostibus verò filij sui, trophæa statuet ac triumphabit.

Cùm autem respondisse euentus ijs, quæ iam acciderunt, consensus historiarũ doceat, non dubitemus euentura esse & cætera, quæ visio ostendit, de iudicio, de pœnis ac gloria secutura: Credamus etiam firmiter, doctrinam à Deo patefactam in Ecclesia, veram esse, nec fracti ærumnis nostris, nec capti admiratione potentia & successuum Turcicorum, aut splendoris pontificij, abduci nos ab Evangelio sinamus. Extiterunt ordine quatuor Monarchiæ, Et quanquam plures non erunt, tamen postremæ periodus etiam circumacta est, imperij Romani quo nullum fuit, nec erit potentius, ita attenuatis & consumptis viribus, ut vix nomen supersit. Nam per Asiam, ne vestigium qui-

dem, aut latnm unguem possidet. Aphricam totam  
amissurus, nisi quantum in littore proximis annis  
Hispani auspicijs Caroli V. occuparunt. Auulsa est  
Hispania, Gallia, Britania, Dania, Sarmacia, Il-  
lyricum, Pannonia, Græcia, & maris Mediterra-  
nei insule.

Italia priscum & auitum Imperij Romani pa-  
trimonium in plures dirempta est prouincias, quas  
singula suos habent dominos, etsi maxima pars pon-  
tifici, aut Hispaniæ regi paret. Iam Veneti quàm  
multas possident vrbes ac prouincias, ipsi liberri-  
mi, & ab imperio Romano planè seiuncti? Ita vt  
ab his ad Imperium fructus nihil redeat. Sola su-  
perest Germania, quæ semper aduersata quondam  
Romanis, & subinde rebellans, tandem à Carolo  
Maguo collecta, & in unum corpus redacta, sub-  
actaq;, cæsarum domicilium, atq; sedes facta est, to-  
tumq; illud quantumcunq; est, quod hodie imperij  
nomine censetur, intra Germaniæ fines includitur.  
Nam foris & extra limites huius, nihil superest.  
Atq; de hoc ipso, tam angustis finibus incluso,  
quàm multa quotidie subducunt & decerpunt,  
cùm inquilini huius, tum externi rēges, qui suc-  
ditionis efficere conantur, quod erat Reipub.  
Quanquam igitur augustum illud, & toti orbi for-  
midabile Imperij Romani fastigium, nihil aliud sit  
hodie, quàm tenuis quædam corporis umbra, post-  
quam ex tam immensa mole redactum est ad uni-  
cam Europæ particulam, Germaniã: & in tam te-  
nui & exanguis corpusculo, vix habet, vnde se su-  
stentet

stentet & tueatur amplius: Tamen cum præsignifi-  
catum sit Danieli, pedes illius statuæ imperialis, fo-  
re partim ferreos, partim fictiles è testa seu luto, non  
poterit confringi aut deleri funditus, quia planta  
pedis est ferrea. Manebunt igitur rudera, durabit  
nomen atq; dignitas huius, donec Christus aduen-  
tu suo rebus humanis finem imponet. Arbor proce-  
ra illa concidit, sed hæret adhuc innixa solo, atq;  
consistit illius radix, non quidem succulenta admo-  
dum, ut propagari vel auferre possit, sed exucca  
atq; arida. Nulla tamen vis humana, extirpare hanc  
funditus poterit. Latissimè dominantur Turcici  
latrones, & maiora sibi fortasse pollicentur. Ponti-  
fices more luporum grassati, quàm multa prætextu  
religionis imperio fraude subtracta in suam pote-  
statem redegerunt? Ex rapinis igitur hostium mul-  
tiplicium, reliquum est Imperij Romani nomen, &  
forma, legibus & disciplina mediocriter munita,  
& quanquam potentia exigua est, tamen adhuc  
propter Ecclesiam, Deo vindice, perstat & con-  
servatur, ita quidem, ut si coniunctæ huius vires  
ac voluntates sint, terrori hostibus quibuscunq;  
esse, omnemq; vim externam facile depellere pos-  
sit. Sed urgent hanc etiam pœnæ fatales, propter  
contemptum verbi diuini, securitatem & innume-  
ra flagicia alia, quæ & Turcos attractura, & bar-  
bariem tetram inuectura in honestas politias, scho-  
las, literas, atq; Ecclesiam videntur. In postrema  
igitur tempora cum inciderit ætas nostra, quæ ple-  
na sunt ingentibus ærumnis atq; periculis, quorum

finis nullus prospicitur. (Sunt enim hæc iuxta  
Christi prædictionem, tantum ἀρχαὶ ᾧδ' ἰωρ)  
Quid nostri sit officij non solum expendamus singu-  
li diligenter attenteq̄, sed & dum licet, ac medio-  
cris est tranquillitas, maturè præstemus, antequam  
securos & incautos extrema mala prehendant &  
abripiant: nosq̄, sera potentia, temeritatem nostram  
deploremus, quemadmodum Athenienses ait De-  
mades, non nisi pullatos, & insigni aliqua clade af-  
fectos, de pace consultare solitos fuisse. Nos, qui  
veræ Ecclesiæ cives perhiberi volumus, & opti-  
marum artium studijs adducti sumus, in verbo  
Dei quæramus præsidia & remedia, quibus nos in  
hac temporum mæsticia, maximisq̄, perturbationi-  
bus erigamus & sustentemus, & aduersus impen-  
dentia quoq̄, muniamus.

Ea sunt: Lectio & meditatio sacrorum scri-  
ptorum, Deinde seria vitæ ac morum commutatio  
in melius. De utraq̄, diligentia in discendo ac pre-  
cando, deq̄, frenandis cupiditatibus & regendis  
moribus, nota sunt mandata diuina, & promissio-  
nes additæ, quæ de fructu illius studiij dulcissimè  
concionantur. Quarum autoritatem, si quis furen-  
ter contemnit, eum saltem sua salus & periculo-  
rum communium atrocitas, frenare debet. Quòd  
si quid apud vos muneris publici ratio valet (ut  
valere certè debebat) obtestor vos quoq̄, quo pos-  
sum studio, ut vestra modestia, & vitæ emenda-  
tione, seriâq̄, ad Deum conuersione impetretis miti-  
gationem earum pœnarum, quæ & præ foribus  
nunc

nunc sunt, & paulò post secuturae sunt longè gra-  
uiores. Mecum igitur coniunctis votis sic precemi-  
ni: Te fili Dei Domine Iesu Christe, qui es cu-  
stos pusilli & afflicti gregis nostri, veris gemitib.  
totoq; pectore oramus, vt in iustissima ira tua, recor-  
deris misericordiae, quae est super omnia opera tua,  
nosq; infirmos regas, protegas & adiuues, vt aliqua  
à nobis tibi grata, & Reipub salutaria, fiant, serua  
puritatem doctrinae tuae & optimarum artium stu-  
dia in hac misera Sarepta: & depelle à nobis, cum  
belloꝝ pericula, tum contagia pestilentiae, ne fi-  
ant dissipationes honestorum coetuum, qui tuas  
laudes, hic & in omnem aeternitatem celebratur  
sunt, Amen.

Postremo, quod felix & faustum sit huic scho-  
lasticae communitati, significo vobis, communibus  
suffragijs docentium bonas artes in hac Academia,  
electum esse nouum Rectorem in semestre hyber-  
num, Clarissimum virum, pietate & doctrina ex-  
cellentem, Dominum Iohannem Bugenhagium,  
sacrae Theologiae Doctorem. Quem vobis Magi-  
strau nunc sisto, & commendo, atq; propter gloriam  
Dei, vestram & publicam omnium nostrum sa-  
lutem, vos oro & obtestor, vt huic Magistratui  
vestro, reuerenter pareatis, nec morum petulantia  
ipsi molestias difficilimae gubernationis cumuletis,  
aut vobis ipsis pœnas atq; exitium attrahatis. Tibi  
vero Magnificè Domine Rector, & munus publi-  
cum commendo, & insignia Magistratus huius  
trado, Sceptra, sigillum, clauis fisci, librum statu-  
torum

torum, & Epomidem. Ac Deum clementissimum patrem nostrum, per Filium suum unigenitum oro, ut gubernationi tuæ ipse Spiritu suo sancto benedicat, & faciat, ut sit fausta, salutaris & tranquilla, Scholæ nostræ, utq; floreat res nostra, & ipsi grata dicamus & faciamus uniuersi.


DIXI.





ii  
ii  
ii  
ii  
02






*Pd 263*

3  
**ULB Halle**  
004 099 613  


*SB*

*Me*





ORATIONES (5)  
DVÆ

HABITÆ A MAGNIFICO D. RECTORE ACADEMIÆ VVitebergensis, Inclyto & generoso Domino D. IOHANNES CYRIACO libero Barone in Polheim & VVartenburg &c.

VNA:

*Cùm leges scholastica recitentur publicè.*

ALTERA:

*Cùm Magistratu abiret die 18. Octob. Anno*

1575.



VVITEBERGÆ  
IOHANNES SCHVVER-  
tel excudebat.

ANNO M. D. LXXVI.

